earum. Psalterium Romanum, & Ambrosianum, & Cassiodorus, à malefactis eorum: Græca dictio τῆς κακουργίας malignitatem significat, ut est idem quod astutia: & præterea malefactum quasi κακὸν ἔργον. Hebræa שאי Schioc in regimine declarata est versu VIII. ubi Hieronymus reddidit calamitatem, LXX. παγίδα. Interpres noster laqueum à נשא nascha. Fortassis erat nomen שאה schoah à decipere, deceptio, κακουργία. At à שאה schoah, desolare שאה schoah desolatio, & calamitas. Hieronymus rationem habuit secundi: LXX. primi, & Augustinus, ac Interpres noster. Restitutio animæ, animam pro substantia ipsa sumendo, importat separationem priorem ejusdem per mortem, atque reditum in corpus per resurrectionem; quo pacto sententia convenit Christo, ut dixi. Loquendo de Davide denotat recreationem animæ in homine periculis, ac ingenti metu penè examinato, ita ut quæ quodammodò exierat, (quod est deliquium pati) redire censeatur solatio, & auxilio alieno. Explicavi vim hujus phrasis a vers. 8. Psalmo 18. a, & 22. b. *Lex Domini immaculata, convertens animas*: &, *animam meam convertit*. b vers. 3. Quibus locis est idem verbum Hebræum quod hoc loco משיבה meschiuah, & ישובב ieschoueu, Græcum autem ἀποκαταστῆσαι. Debitor est nobis Deus promisso suo; exigi potest.

A leonibus unicam meam.) Hieronymus, *solitariam meam* sicut Aquila τὴν μοναχήν μου: & Symmachus, τὴν μονότητά μου, *solitudinem meam*, quod glossa non benè reddit *juventutem*, nisi fortè legit in Symmacho, νεότητα. LXX. τὴν μονογενῆ μου *unigenitam meam*. Chaldæus *corpus meum* גושמי *guschemi*: sed in Psalmo 21. c, *spiritum corporis mei* רוחגושמי *ruach guschemi*. c vers. 21. Ibi repete quæ dicta sunt de animæ cujusque, vel vita, aut Christi, ac ejusdem carne, quare sic nominetur: præterea etiam de Ecclesia: item cur leones appellentur persecutores visibiles, tùm invisibiles, de quibus leonibus ibidem d mentio fit. d vers. 14. 23 Hoc loco Cyrillus unicam meam interpretatur, dilectam, quia ex filiis, qui unicus est, multa semper, inquit, charitate diligi solet. Didymus, quia solam Christus haberet, ac sibi propriam, & singulari modo cum divinitate conjunctam: fabulosam enim esse animarum transmigrationem. Fabulosa animarum transmigratio. Theodoretus, quod esset omni auxilio destituta, etiam Davidis animam vitamque: Trevetus, quod exultaret David per loca diversa: Cassiodorus, carnem Christi de Virgine conceptam, & sine peccato, & unitam Verbo. Anima cuique unica, idcircò maximi facienda: quia nihil cetera prosunt, si ejus detrimentum patiaris e. Si mortua sit per peccatum, flagita eam tibi restitui. e Mat. 16. 26 Considera quo dolore Jairus affectus sit pro unica filia defuncta f: quo vidua, pro filio unico g. f Matt. 9. 18 g Luc. 7. 12 Pro *leonibus catuli leonum* propriè reddi potuerunt, quos כפירים *chephirim* significant, sicut in Psalmo 16. h singulare כפיר *chephir* est translatum *catulus leonis*. h vers. 12. Congruit huic feræ quod i præcessit *frenduerunt dentibus*: sonat enim ἔβρυξαν rugitum leonum; i vers. 16. etiamsi חרק *charak* sit *dentes dentibus irascendo quatere*, quod *fremere* dicitur Psalmo III. k, Catuli, ac leunculi videntur designare, interdum fessos in oppugnando persecutores primarios, alios ceu catellos subrogare, qui auctoritate illorum nixi non vereantur insultare. k vers. 10

Vers. 18.) Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

UT impetret faciliùs, pollicetur se, si liberatus fuerit ab adversariis, non fore ingratum, nec acceptum beneficium absconsurum, sed palam, publicèque prædicaturum coram omnibus, & in magna, atque conferta multitudine. Indicatur simul Ecclesia Christiana Catholica sive universalis, locis, & personis, & dignitate, ac virtute longè magis præstans, quàm Synagoga, non solùm numero, ut ait Cyrillus: illa etiam, quæ in Cœlis est primitivorum ibi conscriptorum l constans turba magna, quam dinumerare nemo poterat m: l Heb. 12. 23 m Apo. 7. 9 Insinuat sub Christi persona David reprobationem Synagogæ, de cujus hominibus prædixerat dissipandos non compungendos. Quo etiam pacto Deus oranti Moysi pro populo suo respondit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & delebo eos, faciamque te in gentem magnam* n. n Exo. 32. 10 Senior Tobias, & exemplo, & verbis confitebatur Domino, hortabaturque alios id facere o. o Tob. 13. 3 *Confitemini Domino filii Israel, & in conspectu Gentium laudate eum.* Edoctus anteà fuerat ab Angelo p. p c. 12. 6. 7. *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, & confiteri, honorificum est.* Hanc ipsam sententiam ad idem propositum usurpavit Severus Minoricensis Episcopus in epistola de Judæorum conversione, & Papa q Stephanus. q apud Baronium. a. 753. Christus à dæmonio liberatum jussit reverti domum ad suos, & annuntiare illis quanta ei Dominus fecisset, & misertus esset ejus r, quod & fecit. r Marc. 5. 19. 20 Id quemadmodum David idem noster fecerit, audi s *Venite* s, ait, *audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* s Ps. 65. 16 Iterum t, *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine tu scisti. Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare dixi.* t Ps. 39. 10. 11 In quem locum Ambrosius. Reprehensi ab eodem Christo ingrati leprosi, qui sanitatem consecuti non redierunt, ut gloriam Deo u. u Luc. 17. 18 Alia jam diximus, quæ huc faciunt ad illud ex Psalmo 21. x. x vers. 23. 26 *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*, &, *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Theodoretus, Basilius, Lyranus, accipiunt tamquam vaticinium de decantandis in vetere testamento, posteà in novo per orbem Psalmis David. Cyrillus y Hierosolymitanus citat præsentem locum pro Ecclesia Catholica, docens, Catholicam dici locis dogmatibus, personis, remedio peccatorum omnium, professione cuncti generis virtutum. y Catech. 18 Ecclesia Catholica ut dicatur.

Confitebor tibi.] In Bibliis Græcis Sixtianis additur (καί &) significare autem posset, *etiam*. Augustinus, Cassiodorus, Psalteria Romanum, & Ambrosianum addunt, *Domine*.

In Ecclesia magna.) Hieronymus, *grandi*. Vox רב *rau* & πολῦ significant *multam*. Sed Latini quoque pro *magno multum*. & hoc vicissim pro illo dicunt. Magnum pro multo & multum pro magno. Indicat David ad litteram frequentem conventum in sanctuarium religionis ergo; promittens ibi Psalmos decantaturum. Inter alias caussas abesse se dolebat à loco divini cultus.

In populo gravi laudabo te.) Aliis verbis idem repetit, nam populus gravis non differt ab Ecclesia magna. Fortem vertit Hieronymus, idque valet עצום *hhatsum*: Aquila, ὀστεινόν, idest *robustum*, & *fortem*. Symmachus, παμπληθῆ, *valdè multum*. Sed robur populi est, quum adeò multus est, totque abundat viris, ut hostes non formidet. In historia Machabæorum z in eodem sensu dicitur *multitudo*, Græcis ὄχλος βαρύς, idest, *copiosus exercitus*, quem rectè *validum* appellaveris. z l. 11. 18. 22 Hebr. verbum עצמת *hhatsam* non modo significat *roborare*, sed etiam augere in quantitate, & multiplicare, ut docet R. David Kimhi a: & ita reddit interpres in Psalmo 39. b. *Multiplicati sunt super numerum*, & in 69. c. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*: & in 138. d. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*: & in Jeremia e, *multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus*: & in 30. f. a in l. radicum. b vers. 6. c vers. 5. d vers. 8. e vers. 14. f l. 3. Quum *dura* dicuntur peccata Latini, Hebraicè עצמו *hhatsemu*, & Græcè ἐπεπληθύνθησαν. Non sic apud alios Græcos τοῦ βαρέος notionem pro *multo* reperi, ut *gravis* apud Latinos. Grave pro multo. *Grave pretium*. Salustius g fructibus, dixit pro *multo*: Varro apud Nonium *graves pavonum greges*: idest, *multos*: & Cicero h non audiendos graviter, hoc est, valdè multumve g 1. de offic h Zach. 5. 7 Basilius, Theodoretus, Eusebius, Euthymius, Nicephorus, ita hunc locum explicant, ac nominatim ultimus *in populo gravi*, declarat, idest, *plurimæ multitudinis*.

Nec tamen negligenda Patrum expositio Græcorum, & Latinorum, de populo stabili, & constanti, non plumbea i, & iniquitatis k, ac obstinati cordis gravitate l, sed aurea, & justitiæ, ut non sit levis ad peccandum, non projiciatur ut à vento pulvis m: *non circumferatur omni vento doctrinæ* n: qui fundatus sit supra firmam petram o, firmiterque præcepta custodiat: non sit palea inanis, sed solidum frumentum: quemque aura tentationis, sed ventilario potius purgat, quàm longè projiciat. i Is. 1. 4. k Ps. 4. 3. l Ps. 1. 4. & super vers. 5 m Ep. 4. 14. n Mat. 7. 24 Ex Græcis hoc modo exposuit Eusebius, maximè secundum reci-

recitatam Aquilæ versionem: præterea Hesychius, Quoniam ex quo, inquit, populus hic ad Deum accessit, numquam à fide in illum recessit. Cyrillus item, qui addit martyrum constantiam usque ad sanguinem testificantium Christum, & usque ad mortem pro veritate decertantium a: & quod à levitate Judaica sit liberatus, de qua scilicet Jeremias b; a Eccl. 4. 33. b c. 2. 11. *Videte si factum est hujusmodi, si mutavit gens deos suos? populus verò meus mutavit gloriam suam in idolum*: & c. *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* c Thren. 1. 8 Similiter Didymus: qui omnes convenire in eo videntur, ut Ecclesiæ inconcussa firmitas denotetur. Præter enarratores Latinos, qui ferè omnes magno consensu idem dicunt, Ambrosius d ita explanat. d in Ps. 39. Ibi ergo Ecclesia magna ubi populus gravis, hoc est, non inquietus, e non mobilis, qui sedit manducare, & bibere, & surrexit ludere f. e Exo. 32. 6 f Ep. 4. 14. *Gravis populus* est, qui fidem Deo suo servet, & qui non aliqua levitate mutetur, neque nutet, & fluctuet, sed charitate sit fundatus in Christo g. g Rom 8. 15 Ut possit dicere; *Confido enim, quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio separare me possit à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* De gravitate modestiæ in habitu, incessu, statu, omni motu, verbis, & aliis rebus, Hugo Cardinalis, præsertim quod attinet ad virum religiosum, explicat.

Vers. 19.) Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

POst interpositum versu priore votum, repetit orationem suam, petens liberari à fictis amicis; ne gaudeant super interitu ipsius, dum amicitiæ prætextu, atque connivendo oculis, salutando, blandè aspiciendo, approbando nutibus, gestu, vultu, quæ dicit, facitve, tacitè, & clam invicem annuendo, odii sui venenum in immeritum effundunt, & in incautum, seu quem se fallere putant, & non deprehendi ab illo, ita ut nequeat sese quamvis velit, vindicare.

De Christi persecutoribus tum ante crucem per omne prædicationis tempus, tum in ipsa præsertim cruce plurimi Patres interpretantur, quando priùs quidem in sermone capere illum voluerunt i; crucifixum verò irridentes, urgebant, ut descenderet de cruce, tali conditione pollicentes se credituros k. i Mat. 22. 15 k Mat. 27. 41 Videlicet persuadebant sibi non posse ampliùs evadere, & post mortem non resurrecturum. De persecutoribus Davidis explanant recentiores multi, & de antiquioribus Basilius, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, Lyranus, Trevetus.

Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè.) Hieronymus, *non lætentur super me inimici mei mendaces*: sic alii ferè ex Hebræo; sed rectius qui, *falso*, ut Felix & Pagninus, quam qui, *immerito*, ut Vatablus, vel *sine ratione*, ut Campensis, quia שקר *scheker, mendacium*, significat. Pro ἀδίκως, *iniquè*, ut est in Regiis, Complutensibus, & aliis Bibliis Græcis, Sixtiana habent ματαίως *vanè*. Aquila, ἀναιτίως *sine caussa*. Magna iniquitas perfe- qui decipiendo, ac prætexendo, metiendoque amicitiam. Sæpius vidimus de adversis casibus non percipi molestiam tantam, quantam affert insultantium lætitia; sicut è contrario levamen molestiæ amicus consolans est, quasi partem transferat in se, exonerato amico. Id sibi vult *super gaudere* hoc loco, & ἐπιχαίρεσθαι quod etiam Psalteria, Romanum, & Ambrosianum, Augustinus, & Cassiodorus reddunt *insultandi*, verbo, sed in Psalterio Romano præponitur particula caussalis, *ut: ut non insultent*: quasi propterea Christus petat restitui animam, & unicam suam, idest, resurgere, & Ecclesiam vigere, ut non insultent adversarii in fideles, Judæi, Hæretici.

Vim facit Hugo in compositione, ut scilicet gavisi in morte Christi, non insuper gauderent, si non resurgere, & tropologicè, ne dæmones gavisi de peccatis tuis prioribus, denuo gaudeant, si relabaris in eadem. Hebræum verbum ישמחו *iismechu* simplex est. Eadem verbis iisdem phrasis repetitur versu 24. & Psalmo 36. l quibus duobus locis etiam Hieronymus, *insultare*, vertit. l vers. 17. Ceterum κατὰ τὴν λειπότητα, dum deprecatur, ne gaudeant adversarii, optat etiam ut improba lætitia convertatur in mœrorem, in acerbitatem voluptas transferatur, evadatque Sardonicus eorum risus.

Qui oderunt me gratis.) Si in sequenti membro non esset particula conjungens, & diceremus negationem præcedentem hic subaudiendam more Hebræorum, idest, neque qui oderunt me gratis, annuant oculis: *odisse gratis*, ac sine caussa, absque culpa, sine fructu, & frustra (sic vertit Hieronymus) idem est: δωρεὰν חנם *chinnan* non autem significat, ut alludendo ad dictionem, *gratis*. Hugo dicit, pro gratiis, seu, loco gratiarum, quas debebant. Quamquam hoc verum est de persecutoribus, & Davidis, & CHRISTI, quos hi multis beneficiis affecerat, sed CHRISTUS potissimum: Quocirca CHRISTUS usurpans hunc ipsum locum dixit m. *Si operam non fecissem in eis, quæ nemo alius, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt me, & Patrem meum. Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; quia odio habuerunt me gratis.* m Joan. 15. 14 *Legem* vocat omnem veterem scripturam, sicut, & quum citat ex Ps. 81. n. *Nonne scriptum est in lege vestra. Ego dixi, dii estis.* n Joan. 10. 34 Eamdem sententiam habent aliorum Psalmorum verba: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis* o, *& sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis* p: &, *quum loquebar illis, impugnabant me gratis* q: o vers. 6. p Ps. 68. 5 q Ps. 108. 3 Nullus plenè *gratis* odio habetur homo præter Christum, quia nihil in Christo dignum odio: nemo verò, in quo non aliquid peccatum fuerit, vel sit, vel esse potuerit, debueritque. Contra nullum magis peccatum, *gratis*, quàm contra Christum, quoniam nullus tot contulit, vel ferre beneficia valet: & ex odio commodum reportari nullum potest: damnum incurri maximum necesse est. Odium charitati virtutum principi adversatur. Quemcumque oderis iniquus es, quia charitatis virtutum principi adversaris: si qua subsit caussa, patrocinatur tibi rationis umbra quædam: quum nulla offensa est, si nemo qui provocat, alienior à naturæ præscripto es: longè verò quàm alienissimus odio habens benevolum, & beneficium; quum feræ ipsæ beneficiis mitigentur. Sed magno profectò solatio tam iniquum odium aliorum in te esse tibi debet, nempe quòd alii ponant odium pro dilectione tua, & pro bonis mala r. r Ps. 119. 7 Hoc seipsum Paulinus s solatur modo, adversus odia Clericorum Romanorum: (Sed Domino gratias, ait, qui, & mihi miserrimo peccatori suo dedit dicere, *quoniam oderunt me gratis*.) s Ps. 108. 5 Subdit se cum his, qui oderant pacem, mente pacificum fuisse t: & famam de talium odiis ad se allatam vix aures spinarum sæpè munitas penetravisse, atque ut auram frigidam, vel importunum vacui calicis murmur exclusam. t Ep. 1. ad Severum.

Et annuunt oculis.) Dixi, & desiderari in Hebræo textu. Hieronymus, *conniventes oculo*: Augustinus, & Cassiodorus, *& annuentes oculis*. Sensus est, Primo qui oderunt, nihilominus interdum videntur amicè annuere, & approbare, favere, pacem agere. Sic Augustinus, & plerique de Latinis favet in Apollinario adversativa particula ἀτάρ *sed*,

Οἵ με μάτην ἐχθαίρουσι, ἀτὰρ ῥεύουσιν ὀπωπαῖς,
Qui me frustra oderunt, sed annuunt oculis.

Secundò alios incitabant signo illo tacito ad nocendum, ut exponit Petrus Lombardus, Thomas, Hesychius, Tertiò limis oculis nictando, collimando, subinde illos claudendo adversus Davidem, aut Christum, per ludibrium irridebant, simul alios ego signo ad idem provocantes, ut placet Eusebio, & Cyrillo. Quartò, assentabantur Sauli, & oculis ipsis designabant Davidem, quum præsens esset, detrahendo, & carpendo, si quid ille dixisset, vel fecisset. Hæc Euthymii, Basilii, Theodoreti expositio est. Benè distinguit Petrus Cantor Parisiensis, quem citat Franciscus de Puteo in catena, gestum illum oculorum, ut in malam sumitur partem in proditore, hypocrita, simulatore. Clausis leo oculis pro catulis dimicans insilit in agmen venantium.

Ἑστήκει u ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσι. u Ps. 119. 7
Πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων.
Stabat (Ajax Patrocli corpus scuto suo obtegens)
ut leo depugnans sua pignora circum,
Deducto prorsum cilio sua lumina velans.

Leones *frendentes dentibus* vocavit antea x David persecutores. x Iliad. ρ. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum*, y *& omni tempore jurgia seminat* z: y vers. 16 17 z Prov. 6. 13 Gradi ore perverso quid sit. Gla-

Gladii ore perverso, est loqui benignè, & amicè, sed intus mala moliri: vel est, perversos proferre sermones; attamen more asserentium viritatem, oculis, ac vultus constantia, quæ dicit confirmare, atque modesto incessu, corporisque habitu, ac gravitate personæ, demum actione, & digitorum motu veritatem tegere. Aut certè quidne, quid sit de aliis, per quæ commodè possunt intelligi alia membra corporis, quibus eo modo quis abutatur adversus alium, quo, & oculis, *Annuere oculis* ibi est signum dare sociis iniquitatis, in perniciem alterius: & confirmatur simili alio; *Annuens oculo, fabricat iniqua* a: item b: *Qui annuit oculo dabit dolorem.* Denique semper in Scriptura malum quid sonat, *oculis annuere.* Non aliud sibi vult, quod Ps. 21. dicitur; *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput*: motus namque oculorum quum capitis commotione fit, tametsi non omnis commotio capitis index mali est, ut ibi docuimus.

a Eccl. 27. b Prov. 10. 10 c vers. 8.

Vers. 20.) Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

MAgis declarat, quid voluerit, dicendo inimicos annuisse oculis, videlicet, perinde ac si amici essent, exteriùs usos pacificis, benignis, amicis verbis, verùm in animo præ ira terrena, & pessima disruptos, & machinatos, quibus illum perdere modis possent. Explicare hunc locum potest, allatus ante de Ecclesiastico locus d adjectis nonnullis, quæ ibidem sequuntur. *Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet.* (propter fictionem nemo eum facilè vitabit) *in conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur, novissimè autem* (te absente) *pervertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum.* Hoc autem, quam malum, & execrabile malum sit, docet, subdens: *Multa odivi* (vitiorum genera) *& non coæquavi ei* (non æquè, ac id odivi) *& Dominus odiet illum.* In adulationis vitium dixi nonnihil cap. VII. e. Ecclesiastæ, & in Actus Apostolorum f, & scio adhuc dici posse multo plura. Mitissimus Christus hypocritas adulatores non ferens, quum magistrum vocarent veracem, docentem viam Dei in veritate, non respicientem personas hominum, cuique cura non esset de aliquo, aspero sermone reprehendebat g: dæmonia quum appellantibus respondebat simpliciter: *ego dæmonium non habeo* h. Quum simulatores, & hypocritæ observantes eum, convicti tacerent, circumspiciens eos cum ira, contristatus est, *super cæcitate cordis eorum* i. Colaceam civitatem sic nominatam, quasi dicas adulatricem, Thessalos diruisse Theopompus testis apud Athenæum k, qui multa de hoc argumento, ex occasione parasitorum. De Sigismundo narrat Imperatore Æneas Sylvius l, supra modum laudanti, diisque similem affirmanti, alapas dedisse, quum is verò cur se cæderet, ab Imperatore quæreret, Imperatorem respondisse; *tu me cur mordes adulator?* Idem proditur de Ladislao Poloniæ rege. Alexander nimium assentantis illi, & laudantis, Aristobuli carmen in Hydaspem flumen, in quo navigabat, abjecit, minatus auctori similia, si tale quid in posterum ederet.

d c. 24. 25. 26. 27. e vers. 6. f cap. 12. 22. g Mat. 22. h Joan. 8. 49. i Marc. 3. Colaceæ civitatis destructio. k lib. 6. c. 6. Sigismundi Imperatoris factum memorabile & aliorum in adulatores. l de rebus gestis Alphonsi.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur.) Hieronymus, *non enim pacem loquuntur.* Id imitantur Hebraizantes; & sic habet paraphrasis Chaldæa. Verùm LXX. non לא *lo*, legerunt, sed לי *li*, hoc est, *non*, particulam negantem, sed pronomen primæ personæ, *mihi*, illo autem pacto præter Hieronymum, legit etiam Symmachus, οὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλοῦσιν, *non enim pacem loquuntur*: & V. editio ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσιν, *quia non pacem loquuntur*: Potior auctoritas LXX. & editionis nostræ. Tamesi juxta aliam lectionem sensus esset annuisse quidem oculis Davidi quasi pacem vellent, de hac tamen minimè locutos inter se. Posset etiam Hebraicè particula negans leggi cum interrogatione *non*, sive, *nonne pacem loquuntur.*

Et in iracundia terræ dolos cogitabant.) Sixtiani codices Græci, Regii, & Complutenses, non habent nomen *terræ*, & abest à multis aliis exemplaribus Græcis, & ab hexaplo, & à Psalterio Romano Latino, ac Ambrosiano, in quibus, & apud Augustinum, atque Cassiodorum, legitur, *& super iram dolosè cogitabant.* Videtur etiam omisisse in commentario, qui Hieronymi nomen præfert, & alius Arnobii quoque titulo notatus. Verùm extat in Hebræo textu vox ארץ *erets, terram* significans, quam etiam expressit Symmachus, ἀλλὰ περὶ συμαρπαγῆς ἐν τῇ γῇ λόγους δολίους λογίζονται, *sed de rapina in terra verba fraudulenta cogitant*: & V. editio καὶ ἐπὶ συντελείᾳ γῆς ῥήματα δόλια λογίζονται, *& in consummatione terræ verba dolosa cogitant*, & Aquila, καὶ ἐπ' ἀθρόα γῆς ῥήματα ἐπιθέσεων λογίζονται, *& super conferta*, vel, *repentina terræ verba deceptionum*, vel, *insidiarum, cogitant.* Eamdem Græcam dictionem γῆς agnoscunt Basilius, Theodoretus, Euthymius, Eusebius, multique libri Græci bibliorum: præterea Psalterium Arabicum illam reddidit, & paraphrasis Chaldæa. Denique ferè omnes enarratores Latini retinent, &, quod maximi refert, vulgata editio nostra. Quare frustra nonnulli suspicantur in textu Græco mendum, ut pro ἐπ' ὀργῇ, *in ira* (sic est in Sixtianis, in aliis autem, ἐπ' ὀργήν, *super iram*) legi debeat ἐπ' ὀρυγῇ γῆς, *in fovea terræ.* Nullus favet, vel codex Græcus, vel auctor, & ex auctoribus Latinis non est qui meminerit. Sic etiam iræ mentio nulla. Nec Folengio credendum legenti, *in iniracundiam terræ loquentes*, ut idem sit quod in tranquillos, & pacificos, qui irasci ferè nesciunt, eo modo quo modestos appellamus interdum ipsam modestiam. Qui sectantur Hebræas voces, eo transferunt aut simili modo. Hieronymus, *sed in rapina terræ verba fraudulenta concinnant.* De Symmacho, Aquila, V. editione dixi. Paraphrastes Chaldæus, post præcedens membrum, *quoniam non pacem loquuntur*, ita prosequitur, *& contra justos terræ quiescentes in sæculo illo, verba dolosa cogitant* m. Alii, *& contra humiles, mansuetos, tranquillos, quietos terræ, verba fraudulenta cogitant.* Vel, *contra pingues, & saturos, qui placido otio fruuntur.* Vel, *cum pinguibus, & divitibus.* Vel, *super scissuras terræ*, idest, homines calamitosos qui velut fracti, ac inutiles sunt: Vel, *super scissuris, aut fissuris terræ*, idest; in locis secretis terræ: Vel, *in commotionibus terræ*: Vel, *quum terra in tranquillitate est*, &c. Vel, *adversus insontes qui in terra degunt.* Vel, *in quiete otioque, & voluptatibus indulgentes, mala contra me cogitabant.* Ex his interpretationibus de Hebræo varii sensu colligi possunt, & quidem etiam contrarii, ut quilibet per seipsum videt. Trevetus explicans Psalterium ex versione Hieronymi, ait, sensum esse, quòd verbis fraudulentis concitarent Saulem contra Davidem *in rapina terræ*, idest, quia imponebant Davidi, quòd vellet auferre Saulis terram, & regnum: ut ideo Saul dixerit Jonathæ, *omnibus diebus quibus filius Isaiæ vixerit super terram, non stabilieris tu neque regnum tuum* n. Hebraicè sic extat, ועל רגעי ארץ דברי מרמות יחשבון *vehhal righbe erets diure mirmoth jachaschouun.* In voce רגעי *righbe*, latet æquivocatio. Nam Thema רגע *ragabh* significat, *scindere* seu *findere*, & *quiescere*, & nomen רגע *regabh*, *scissuram, quietum*, ac præterea momentum, brevissimum tempus, repentinum quid. Inde natæ sunt recitatæ illæ tot versiones: & quum Hieronymus post Symmachum, qui συμαρπαγὴν exposuit, *rapinam* posuerit, credi potest hanc etiam significationem habere, quum qua convenit συντέλεια, idest, *consummatio*, qua usus est Aquila. Septuaginta si legerunt eamdem vocem Hebræam, intellexerunt metaphoricè per *scissuras terræ*, iracundiam habitantium terram, quia ita est scissura quædam cordis, quod irascendo disrumpi videtur, & pacem, quietemque amittit. Sic vulgo de diffidentibus dicimus (*sono venuti a rottura alle rotte.*) Vel *iracundia terræ*, est cordis terreni, & animalis, quibus epithethis Jacobus o malam sapientiam describit, sive hominum terrenorum, ut ait Lyranus, & Bruno Carthusianus, qui aliud habent in corde, aliud in ore. Vel quæ à simulatis illis, & iracundis infertur terræ, hoc est, toti mundo, cunctis habitatoribus terræ, ut omnes conturbent, evertant terram, omnia misceant, ira namque & indignatio pro malis ab ea proficiscentibus accipitur; ut, *homo* p *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*, πλήρης ὀργῆς רגז שבע *sevah rogez plenus* aut *satiatus ira.* Vel *iracundia terræ*, ut placet Bedæ, Glossæ interlineari, Hugoni, Ruffino, Remigio, Haimoni, Brunoni Carthusiano, Ricardi Pampolitano, Richelio, Ludolpho, Thomæ, est pro rebus terrenis, idest extimulans ad comparanda bona

m Gyrald. 3. de hist. poet. n apud Vatablum, Felicem. Campensem, Eugubinum, Folengium, Genebrar. dum, Bredembachium. o 1. Reg. 20. 31 p cap. 3. 85 q Job. 14. 10

bona terrena, vel avertenda generis ejusdem mala: ut quum Judæi in consilio diceret: *Venient Romani*, &c. Vel *iracundia terræ* designat, ut Basilius, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus explanant, eam, quæ celatur, & quodammodo terra tegitur. Vel, ut mihi colligere videor ex Apollinario, summa ira, & quanta maxima in terra esse solet inter feroces homines, & feras ipsas, appellatur *ira terræ.*

Πικρὰ δέ μοι φρονέουσι χολοφροσύνῃ κοτέοντες,

Acerba verò mihi cogitant dolosè, irascentes. Vel in ira terræ loquentes dolos cogitabant, ut ait Valentia, quia Judæi dolis suis quibus capere volebant Christum in sermone, intendebant inducere illum in iram, & indignationem terreni populi, & principis. Si suspicionibus locus detur, licebit, & mihi non temerè suspicari, ob affinitatem litterarum, LXX. non רגעי *righbe*, sed רגזי *rigze*, aut רגשי *rigsche* legisse, quæ *tumultus, irasque* significant, vel, coitiones, atque conventus tumultuosus, quos excitat terra, idest, hominum multitudo magna, & conferta, præsertim furentium. Porrò similitudinem cum phrasi præsentis loci habet, quod scribitur Psalmo LXXXIII. a *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*: *obscuratos* enim *terræ*, ἐσκοτισμένους τῆς γῆς, intelligit Psalmographus eos, qui in obscurris terræ locis habitabant, & palatiis per injuriam possessis repleti sunt. Propterea in LIV. b, *in ira molesti erant mihi.*

Loquentes dolos cogitabant.) Hebraicè *verba dolosa cogitabant.* Sed idem est *verba dolosa cogitare*, & *loquendo intra se cogitare dolos*; & satis intelligitur interna locutio in *cogitandi* verbo. Quamquam non in cogitatione sola illi conquieverunt: sed præcogitata locuti sunt. *Meditari os* dicitur *sapientiam* c, & *justitiam* d: & *guttur veritatem* e, quando, quæ proferuntur voce, mente agitata sunt priùs. Item, lingua dolum agit f quum meditatum, sermone promit: concinnat dolos g, quando concinnatos, & secundùm rem, & juxta modum proferendi, loquitur.

Joan. 11. 48. a vers. 20. b vers. 4. c Ps. 36. 30. d Ps. 34. 28. e Prov. 8. 7. f Ps. 14. 3. g Ps. 49. 19.

Vers. 21.) Et dilataverunt super me os suum: dixerunt Euge, euge, viderunt oculi nostri.

PAcificè locutos inimicos per simulationem docet, quoniam qui blandiebantur aliquando, & annuebant oculis, posteà quum incidisset in calamitates, quas ipsimet fraudulenter concinnaverant, cœperunt apertè insultare ore aperto, & dilatato, nec non, gratulando inter se, dicere; aliquando tandem oculis nostris vidimus, quòd adeò desiderabamus, videlicèt exitium, & interitum tuum. Hoc illud est Judæorum crucifixo Christo insultantium, *Vah* h, *qui destruis templum Dei*, &c. Vociferantium etiam priùs i, *tolle, tolle, crucifige eum*, &c. *hic est heres* k, *venite occidamus eum.*

Dilataverunt super me os suum.) *Dilatatio oris* in bonam partem accipi potest, nisi quid obstet, ut, *dilata* l *os tuum, & implebo illud*: in malam, quæ super alium fieri dicitur m, *super quem lusistis? super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti semen mendax?* Præterea n, *cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & levasti altitudinem oculorum tuorum? ad Sanctum Israel.* Item o, *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, & sibilaverunt, & frenduerunt dentibus* p: *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici* q: *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens.* Mater Samuelis, in cantico r, *Dilatatum*, inquit, *est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.* Super tales irrisores, & exprobratores dilatat infernus animam suam; & aperit os *absque ullo termino* s. Huc facit, quod aliàs retuli narratum à Quadrigario apud Gellium t de Gallo, qui voce maxima inclamabat irridendo, atque linguam exercitando, *si quis secum depugnare vellet, uti prodiret.* Idem valet alia formula, qua dicitur *os loquens magna, ingentia grandia* u, hoc est, superbè, ac tumidè, sive loquatur quis de propriis rebus, & laudibus, sive aliis comminetur, aut insultet. In versu XXVI. hujus Psalmi his, qui magna loquebantur super ipsum, imprecatur David, & in Psalmo XI. x *Linguæ magniloquæ.* Conqueritur præterea in Psalmo XXXVII. y de illis qui quum commoverentur pedes ejus, super eum magna loquebantur. Et in LIV. z, eamdem querimoniam repetit. Postremò eamdem vim importat magnificatio oris a. Possunt sic loquentium voces *ampullæ* nominari, & *sesquipedalia* verba b, & ipsos *ampullari* rectè dixeris c. Aliquando verbum Hebræum significans *magnificare* גדל *gadal*, aut הגדיל *higdil* absolutè positum, ac sine ullo casu habet eumdem usum: ut infra versu 26. ubi ait, *super me magna locuti sunt*, & in cap. 19. Job d: *contra me erigimini*: in Sophonia cap. 2. e, *magnificati sunt super terminos eorum.* Quod autem legitur Latinè apud Ezechielem f, *insurrexistis super me ore vestro*; Hebraicè est, *magnificastis super me in ore vestro.* Propter oppositam caussam, quum quis videlicet ita criminis cujuspiam convincitur, ut quid respondeat non habeat, dicitur *ponere manum super os suum*: ut, non aperire g, aut opilare, aut obstrui h, cum passus ingentem calamitatem studio summo implorat opem divinam, *ponere in pulvere os suum* i. *Ponit superbus in cœlum os suum* k. De rebus magni momenti loquens *aperire os* etiam dicitur l, vel indicatur diu anteà siluisse, ut docui ad cap. 8. actuum Apostolorum m.

Euge, Euge.) Hieronymus, *Vah, Vah*, quo propterea vertit modo in versu XXV. & aliis Psalmis n, quum eadem vox Hebræa האח *heach* occurrit, quæ, sicut, & *vah* non nisi ore dilatato proferri valet. Interpres transtulit eodem pacto apud Job o: & apud Isaiam p, licèt apud hunc non sit Græcè εὖγε sicut aliis locis, sed ἡδύ μοι, *dulce mihi.* Præterea apud Ezechielem q. In textu Græco & Syriaco Matthæi r, ubi Latinè legimus, *Vah, qui destruis templum Dei*, nihil est, quod respondeat: in Marco s Græcè habetur οὐά, Syriacè און *un*, ὦ *tu.* Hieronymus t autem tradit *vah* admirantis interjectionem esse. Apud eumdem Ezechielem u: *& dic heu*, Hebraicè est אח *ach* particula dolentis: licèt Græcè sit εὖγε, quæ particula propriè non denotat dolorem, aut lamentationem: & Symmachus eo loco per paraphrasim reddit χεῖρ λάκτιον? — *lamentare seu plange.* Aquila, ἆ ἆ, quæ est interjectio index doloris. Græca vox εὖγε sonat; *bene quidem rectè sanè*, estque adverbium assentientis, laudando, & approbando, ac si vulgò dicas (*sta bene, va bene, è bèn fatto, è bèn detto*, &c.) aut Latinè, *laudo factum.* Valet etiam idem aliquando, quod hortantis dictio Latina, *macte.* In bibliis præterea habet vim insultandi, seu provocandi cum contemptu, ut Hieronymus notat in cap. 6. Ezechielis: sæpiùs verò exultandi, & congratulandi, ut apud Matthæum x *Exurge serve bone*, &c. Boni auctores *euge* usurpant velut interjectionem assentientis, laudantis, gratulantis, quemadmodum, *Vah*, insultantis, admirantis, exultantis. Apollinarius hoc loco prætermissa voce εὖγε vim illius reddidit, ut gaudium denotat, nempè de alieno malo.

φάντο κακῶν χαίροντες ἐμῶν θυντῆρες εἶναι.

Dixerunt, malorum gaudentes meorum spectatores esse. Euthymius prodit, apud antiquos clamasse *euge, euge*, illos, qui assecuti aliquid essent, quod optassent, repetitione illa lætitiam quamdam præseferentes. Hujus exempla requiro. Porrò cum, ut docui, *dilatatio oris* super alium sumatur in malam partem, hæ voces, *euge, euge*, melius accipiuntur de congratulatione ob alienum malum, quam de ficta laude alterius. Utrumque Hieronymus ponit: sed primum præferendum, & magis quoque sequentibus consentaneum.

Viderunt oculi nostri.) Scilicet hostem David malè affectum in præceps delapsum; vel, id, quod erat in votis: vel, bene bene, viderunt oculi nostri, quæ optabamus. Ita idem Euthymius, & ad Christum possunt transferri, ut ceteri faciunt. *Stabat populus spectans crucifixum, & deridebant eum principes cum eis* y. Pascebat oculos sævitia suos, sibique placebat, & plaudebat hostilis crudelitas.

Dum z *spatium victor victi considerat hostis.*
& sese alius gloriosè jactando,
— *hæc* a (ait) *sunt spolia, & de rege superbo.*
Primitiæ: manibusque meis Mezentius hic est.

Voluptatem, ac derisionem habet hujusmodi aspectus, quemadmodum in Psalmo XXXVI. b *quum perierint peccatores, videbis*: & in Psalmo LIII. c, *super inimicos meos despexit oculus meus*: & in XC. *oculis tuis considerabis, &* retri-

h Mat. 27. 40. i Joan. 19. 15. k Mat. 22. 38. l Ps. 80. 11. m Isa. 57. 4. n c. 37. 23. o Thre. 2. 16. p c. 3. 46. q Ps. 21. 14. r 1. Reg. 2. 1. s Isa. 5. 14. t lib. 9. c. 13. u Dan. 7. 20. Apoc. 13. 5. x v. 4.

y v. 17. z v. 13. a Abdiæ, v. 12. b Hor. de arte poet. c Idem lib. 1. Epist. 3. d v. 5. e v. 8. f c. 35. 13. g Is. 10. 14. h Mich. 7. 16 i Thren. 3. 29 k Ps. 72. 9 l Ps. 77. 2. Matt. 5. 2. m v. 35. n Ps. 39. 16. Ps. 69. 4. o c. 39. 25. p c. 34. 16. q c. 25. 3. c. 26. 2. c. 36. 2. r c. 27. 40. s c. 15. 29. t Epist. 14. 5. u c. 6. 11. x c. 25. 21. 23 y Luc. 23. 35 z Ovid. 3. metam a Ver. 11. Æne. b v. 34. c v. ult.

a vers. 8. b Ps. 57. 11. retributionem peccatorum videbis a, lætabitur enim justus quum viderit vindictam b. Qui de exitio Sion capere summam voluptatem cupiebant, dicebat c, aspiciat in Sion oculus noster. Pollicens autem alius Propheta d id non futurum, & non despicies, ait, in die fratris tui. Ita quidem Abdiæ locum explanant Cyrillus, ac Theodorus. Hic Græcè scribit quod Interpres Latinè non reddidit, illud autem ne inspexeris, ex communi sumpsit consuetudine, consueverunt enim quidam dicere inspexi quempiam, hoc est, lætatus sum, quòd quum malis luctetur. Rursum e quidam illud promittens, & ingredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me, &c. & erunt usque ad satietatem visionis omni carni. Videntur Judæi Christo crucifixo Jeremiæ f verba usurpavisse, postquam aperuerunt super eum os suum, sibilaverunt, fremuerunt dentibus, dixerunt, devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus. Subjicere hic etiam licèt oculis Philistinorum lætitiam super capto Samsone g, Cajetanus legit, vidisti oculos nostros, & exponit, exprobrari Christo, ac insultari in cruce, quod viderit, idest, expertus fuerit oculos prudentiæ crucifixorum suorum. Singularis, ac extorta prorsus, & lectio, & interpretatio. Illud certè verum quod contemplatores crucifixi cum irrisione videbunt in judicio in quem confixerunt, seu pupugerunt, exprobrante iis judice Christo. At ראתה rgathah cum he in fine, non est secunda persona singularis masculini generis, sed tertia fœminini. Hieronymus reddit (vidit oculus noster.)

c Mich. 4. 11. d Abd. vers. 12. Phrases Scripturæ. e Isa. ult. 24. f Thren. 2. 16. g Jud. 16. 23. & seq.

Vers. 22.) Vidisti Domine, ne sileas, Domine ne discedas à me,

Vers. 23.) Exurge, & intende judicio meo Deus meus, & Dominus meus in caussam meam,

Vers. 24.) Judica me secundùm justitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi,

MAgno affectu ad deprecandum revertens, idem verbis multis inculcat. Viderunt illi, inquit, seseque vidisse gloriantur ærumnas meas, tu etiam profectò, longèque meliùs vidisti, quantis, quàm iniquis me malis afficiant; quàm libenter, & obedienter patiar: quodque consummata sint omnia quæ de mea (si de Christo hæc interpreteris) prædicta sunt passione h, ne tam diu te contineas, ac differas opitulari, neve deseras, quasi aut non videas, aut non valeas, aut non velis in te sperantes adjuvare, & defendere. Surge tandem de solio illo tuo tamquam otiosus spectator, vel interquiescens, ac indormiscens mihi (exponendo etiam de Christo) resurrectionem, nominisque gloriam; pertinacibus, pœnas redde. Judex es, conditor, ac Dominus meus: audire tuorum caussas debes, animumque applicare ad ferendam pro innocentibus sententiam: si æquum videtur, à meis me adversariis liberare, quæso ut facias, ut non ampliùs lætentur, ac triumphent, in calamitatibus meis, quarum sunt ipsimet auctores.

h Joa. 19. 28. 30.

Vidisti Domine.) Priùs i veluti subquerens dixerat, *Domine quando respicies?* & prætereà ad postrema præcedentis XX. versus alludit verba persecutorum insultantium, *viderunt oculi nostri.* Quid viderit, dixi. Sic etiam alibi k, *vides quoniam tu laborem, & dolorem consideras, Vidisti* l *Domine iniquitatem illorum adversum me; judica judicium meum.* Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me, Deus m ipse: *Ego, ego sum, ego vidi.*

i vers. 17. k Ps. 10. secundum Hebraeos v. 14. l Tren. 3. m Jere. 7. 11.

Ne sileas.) Lege versum primum Psalmi XXVII. quid sit silere, seu Deum tacere. Symmachus μὴ ἡσυχάσῃς, ne quiescas.

Nec discedas à me.) De hac quoque phrasi dictum Ps. XXI. n, cui similis ut non derelinquat Deus, quæ sæpiùs occurrit. Dic in corde tuo, ait Ambrosius o *ego taceo* (ad injurias meas) *ego taceo: tu autem ne taceas Domine,* & adde, *ne discedas à me:* ut David Propheta dicebat, hoc est, ne solum me impugnantibus derelinquas. Non est enim solus, cui Deus præsens est. Confirmat Christi verbis de seipso p. *Ecce venit hora, ut dispergamini unusquisque in sua, & me solum relinquatis: sed non sum solus quoniam Pater mecum est.*

n vers. 12. o In Ps. 38. Non est solus cui Deus præsens est. p Ioa. 15. 32.

Exurge, intende judicio meo.) Hieronymus, *consurge, & vigila in judicium meum,* Alii, *excita te, & vigila, seu expergiscere:* ad excutiendum somnum, & ad vigilantiam pertinet Hebr. utrumque verbum הקצה רעירה habbirah vehakitsah, ex primo est עֵר hher, aut עִיר hhir; vigil epithetum angeli. Græcè est ἐξεγέρθητι, sicut & Psalmo XLIII. q *exurge, quare obdormis Domine.* Sed secundo loco LXX. reddendo πρόσχες videntur legisse non ההישה hachischab, ut putat Agellius, sed הקשיבה hakschibah, sicut & in Psalmo V. r *intende voci orationis meæ.* Petit autem, ut intendat Deus non pœnis, sed judicio, & caussæ, quia pœnas mali quoque patiuntur, nec pœna martyres facit, sed caussa, ut ait hoc loco August. s. Idem Cassiodorus, Psalteria alia addunt, *Domine, exurge Domine.*

q vers. 24. r vers. 3. Pœna martyres non facit, sed caussa. s Hoc loco, & in Ps. 42. & epist. 50.

Deus meus.) Nomen אלה eloah, Deo convenit, ut judici, quod propterea opportunè hìc usurpatur, dum oratur, ut intendat judicio.

Et Dominus meus.) Docet à Domino defendi servum, quum hic totus in habitudine sit ad illum, & commoda injuriæque servi redundent in Dominum.

In caussam meam.) *Contentionem,* litem, controversiam, Symmachus τὴν δικαίωσιν *justificationem.* Ex his ut intelliguntur de Christo, colligitur, justificationem illius fuisse secundum justitiæ rigorem, quatenus hic rigor dicit equivalentiam, imò, & superabundantiam; citra liberalem etiam Dei promissionem sive pactum, & acceptationē; quæ acceptatio quum promissione, & pacto requiruntur ad hoc, ut pro aliis, & satisfactio sortiatur effectum suum, sed ita ut non possit jure exigi major, nec alia, quàm illa; & si quam creditor velit, illam teneatur acceptare. Voluisse dare salutem, inquit Nyssenus t, est testimonium bonitatis; quod autem tamquam ex contractu fecit redemptionem ejus, qui tenebatur dominatu dæmonis, ostendit justitiam. Hac de re alibi plura contra Scotum u, Gabrielem x, Joannem y, Medinam, Durandum z, & alios, qui negant æquivalentiam dictam, citra liberalem Dei acceptationem, & promissionem.

t Orat. cat. c. 25. u 3 d 19. q. unica, & d. 20. q unica. x 3. d. 19. q. unica, & d. 20 q. unica. y Cod. de pænit. tr. 3. de satisf. q. 1. z 3. d. 20. q. 2.

Judica me secundùm justitiam tuam.) Apud Hieronymum in bibliis Regiis, *meam:* sed in operibus ejusdem habetur, *tuam.* Illo modo legunt Augustinus, & Euthymius, & exponunt. Eamdem lectionem innuit Ruffinus qui quum Augustinum compendiosè transcribat, non videtur esse ille Hieronymi antagonista, ut alias monui. Beda etiam idem indicat. Faber contendit sic legendum juxta Hebræum textum. Sed ibi reperio צדקך tsidKecha, cum affixo secundæ personæ. Cassiodorus, *secundùm misericordiam tuam;* docens, quamvis haberet Christus optimam caussam, qui peccata non fecerat; tamen se petere secundùm misericordiam judicari, ut nobis ostendat precationis exemplum, qui tale non poteramus habere negotium. Ita quoque legit Arnobius. In Psalterio Romano eadem lectio est, addito epitheto, *secundùm magnam misericordiam tuam.* Miratus sub ab Apollinario simul positam justitiam, & misericordiam.

Σῇ σὺν ἐυδικίῃ μ' ἄναξ ἄχραντε δικάζοις,
Σῇ μ' ἐλεημοσύνῃ κρίνοις πανεπίσκοπε ποιμήν.
Tu sub justitiis Rex me incorrupte judices,
Tua me misericordia judices, providè Pastor.

Quamquam Hebræum nomen צדק tsedeck, pro misericordia sumi constat, estque à nobis aliàs annotatum. Sed in paraphrasi poni utrumque non debuit. Magna fiducia conscientiæ bonæ judicari velle secundùm justitiam, sive propriam, sive Dei. Beda de Christi justitia interpretans, & obedientia illius vera, docet Christum dicere *secundùm justitiam meam,* & tamen *tuam,* idest à te mihi datam. Simile quid habet Hugo juxta duplicem lectionem, de qua meminit, idest, *secundùm justitiam vel tuam, vel meam.* Misericordia inter alias caussas ideò dicitur justitia, quia Deus miseretur, ut satisfaciat liberali promisso suo. Idcircò toties oratur Deus, ut liberet, & exaudiat *in justitia sua.* Verùm quando petitur judicari *secundùm justitiam,* non assentior Pinto a sic explicanti hunc locum, accipi pro misericordia, non pro justitia propriè dicta.

Misericordia Dei cur dicatur justitia. a in c. 4. & 5. Daniel.

Et non supergaudeant mihi.) Hieronymi, *& ne insultent mihi.* Eodem pacto Augustinus, Cassiodorus, Psalteria alia; nisi quòd in Romano est particula caussalis:

salis: & additur, *inimici mei:* ut non insultent in me inimici mei, lege versum 19. Euthymius conjunctionem, & superfluam judicat, vel subaudiendum *amabo:* amabo Domine DEUS. Superfluam notationem censeo, nec quorsum spectet supplementum illud intelligo.

Vers. 25.) Non dicant in cordibus suis euge, euge animæ nostræ, ne dicant, devoravimus eum.

Vers. 26.) Erubescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.
Induantur confusione, & reverentia, qui magna loquuntur super me.

SUper gauderent, & insultarent, si exultare in cordibus suis possent, atque congratulari in animo suo, tamquam de re confecta, deque vita mihi erepta, & quòd tamquam feræ devoraverint me, nec (loquendo de Christo) liceat mortuo resurgere. Quæso, ne id permittas: sed è contrario fac, ut de amissa victoriæ spe pudeat illos, qui sibi jam de malis meis tamquam præsentibus congratulati sunt; immò toti cooperiantur confusione, qui suam jactabant gloriosè, ac magnificè potentiam super me. Aliqui imprecationem, non, ut sonat, sed in prædictionis accipiunt modum. Theodoretus ait, legis novæ esse inimicos diligere, in vetere fas fuisse illos odisse: Davidem qui hæc vaticinetur, ex Evangelica lege supra in Psal. VII. a expressisse amorem suum erga inimicos, bisque Sauli pepercisse, quem habebat in manibus b. Ego licuisse inimicos odisse in lege vetere non concedo, nec novum conditum de amore præceptum à Christo c, sed veteris, ac naturalis majorem expositionem allatam. Quòd hostes delere præcepit Deus Judæis d, ad idololatriæ vitandum periculum fecit, & ad punienda vetera illorum peccata, sed propriè non est odisse.

Theodoreti sententia impugnata. a v. 4. & seq. b 1. Reg. 25. & c. 26. c Matt. 5. 44. d Deut. 25. 19.

Non dicant in cordibus suis.) Idest, non queant seriò & ex animo dicere, & verè, ut res, veritasque respondeat verbis: quamvis verba hujusmodi, vel proferant, vel antea protulerint, ut Eusebius exponit. Aut ne cogitare quidem talia, vel concupiscere audeant.

Euge, euge.) Quid hæ voces valeant dixi versu 21. Semel tantùm hìc Hebraicè ponitur, & à Hieronymo *Vah.* Hoc loco lætitiam denotat, ibi etiam insultationem.

Anima nostra.) Jungendæ priores cum istis dictionibus, *non dicant in cordibus suis,* &c. *euge, euge,* nimirum (est) aut (sit) *anima nostra.* Non dicant ipsi animæ suæ, illud *euge,* non sibi collætentur, & plaudant. Non est autem sensus, qui tamen Genebrardo non displicet, & est Treveti, qui ait de se, ac de suis Davidem loqui, quasi David de se in prima persona plurali loquens oret, ne dicant euge animæ illius, seu de anima illius eum ridendo, sive insultando. Favet nihilominus Apollinarius.

Μηδ' ἄλγος θυμοῦ ἄλγος ἐμῆς ποτὲ διπλόον εἴη.
Neque (sic explicat εὖγε εὖγε) mentis mœror mea aliquando duplex sit.

Melius Euthymius: *ne dicant,* ait, *factum est, euge, euge, anima nostra:* Id clariùs in paraphrasi Chaldæa exprimitur, *ut non dicant in cordibus suis, læta est anima nostra.* Quasi dicerent, Vah anima nostra: vel, vah votum & desiderium, id namque significat etiam נפש nephesch, pro voto, desiderioque successit. Qui exponit e hortationem, qua sese urgeant persecutores, quasi dicant, insequamur, parum hìc distat ab interitu, non videtur consuluisse textum Hebræum, & Græcum. Potiùs ferri possunt, qui reddunt f *euge, euge, animi mi,* aut lætare, quòd viceris, aut alacriter perge ad victoriam quæ præ manibus est.

e Panigarola in Paraphrasi Ital. dagli, dagli, &c. Expositio improbata. f Campensis.

Devorabimus eum.) Hieronymus, & Psalterium Romanum, *absorbuimus.* Augustinus, Cassiodorus, Psalterium Ambrosianum *absorbuimus.* Id importat κατεπίομεν, & בלענו balahhnu: vel hoc etiam significat *depressimus, disperdidimus, deglutivimus,* &c. Idem verbum, similisque sententia legitur in Threnis g à nobis priùs prolata. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt, devorabimus.* Leonum rabiem indicat locus uterque: de illis verò mentio facta versu XVII. Tale, & illud in Psalmo CXXIII. h *Quum exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos,* κατέπιον ἡμᾶς, בלעונו billahhunu. In præsentis nostri Psalmi loco mendosè quidam legunt, ut B. Thomas, *devoravimus,* in futuro. *Devorandi* verbum, ac vim ejus pluribus explicuimus Psalmo XIII. i *qui devorant plebem meam sicut escam panis,* etsi aliud ibi est verbum Hebræum אכל achal, & Græcum ἐσθίειν: & in XXVI. k *dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Ex quibus caussis hujus formulæ dicendi ad rem facit, significatio singularis lætitiæ, gustusque quem de pernicie illorum, quos persequuntur, improbi percipiunt. *Omnes inimici mei audierunt,* inquit querulus l Vates, *malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Et alius m cecinit; *Exultatio eorum sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito.* Tropologia Augustini est; Vult te mundus absorbere: tu absorbe mundum, & trajice illum in corpus tuum: macta n, & manduca, occide in eis, quod sunt, fac eos, quod es, &c. Ideò fortasse vitulus ille comminutus in aquam missus, & potum datus o est, ut absorberetur ab Israel corpus impiorum.

g c. 2. 16. h v. 2. 3. i v. 4. k v. 2. l Thr. 1. 21. m Hab. 3. 14. n Actuum 10. 13. c. 11. 7. o Exod. 32. 20.

Erubescant & revereantur simul.) Hieronymus, *pariter* יחדיו jachdau, ἅμα. *Omnes uno, & eodem tempore* explicat Euthymius. Dixerat versu XV. *& adversum me lætati sunt, & convenerunt:* συνήχθησαν: propterea optat ut simul etiam erubescant, & confundantur de felici rerum ejus, sed inopinato, minimeque ab illis sperato successu. *Revereri* synonymum est verbo *erubescendi,* sicut Euthymius de Græcis docet αἰσχυνθῆναι, & ἐντραπῆναι: non autem significat, ut Cassiodorus, Thomas, Remigius, Haimo, Hugo, Beda, & plures Latinorum, timere simul amando, & honore prosequendo, quamvis admitti possit votum, desideriumque hìc esse pro conversione, & salute persecutorum Christi. Hebræa quoque verba יבשו ויחפרו jeuschu veiachperu, significant *erubescere,* & *pudore affici.* Eadem verba erant versu IV. suntque alibi p in eadem ista significatione; & secundum includit pudorem cum probro, ac ignominia, *Qui affligit patrem, & fugit matrē, ignominiosus erit, & infelix* q מביש ומחפיר בן ben meuisch umachpir, καταισχυνθήσεται καὶ ἐπονείδιστος ἔσται. Certè verba illa Hebræa non significant actionem ullam reverentiæ, qua quempiam prosequamur: & fateor Interpretem Latino verbo non satis Latinè usum, ut id exprimeret, quod aliarum linguarum verba significare dixi. Idem Judicium esto de nomine *reverentia,* quæ hoc eodem versu habetur, & in Psalmo LXVIII. r *Tu scis confusionem meam, & reverentiam meam:* & apud Paulum s: *ad reverentiam vobis loquor,* & alibi t. Apollinarius hoc loco exponit, ut reportent αἶσχος καὶ μῶμον, *dedecus, & reprehensionem.*

p Ps. 39. 15. Ps. 69. 3. Ps. 70. 34. q Prov. 19. 26. r v. 20. s 1. Cor. 15. 35. t Eccl. 2. 23. c. 31. 9. c. 45. 9.

Qui gratulantur malis meis.) Hieronymus, *qui lætantur in afflictione mea.* Participia שמחי someche, & ἐπιχαίροντες significant *gaudentes, & super gaudentes,* sive, insultantes, aut etiam congaudentes, & collætantes inter se propter malum alterius, quod Hebraicè singulari numero ponitur, nisi fortè legerint LXX. רעתי rahhothi, pro רעתי rahhathi, quod parum refert. *Gratulari malis,* est gratulari sibi de malis alterius tamquam de bono, vel propter vindictam, vel propter aliud emolumentum. Alia significatio Latini verbi *gratulor,* ut est *gratias agere,* habet quidem locum hìc quatenus credi potest hoc etiam Davidis adversarios fecisse, sicut illi apud Jeremiam u dicebant; *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Hoc erat Deo gratulari, gratiasque agere. Videntur etiam gratulari iiqui malis afficiebant Davidem. Sed istum licèt verum sensum, aliarum editionum codices non ferunt. Hesychius loquentem faciens Christum, ait mala sua vocare quæ sunt aliorum; & quæ ut medicus curanda suscepit, & pro illis tanta passus est.

Gratulari malis quid sit. u Thr. 2. 21.

Induantur confusione, & reverentia.) Dixi quid sit reverentia, pro qua verecundiam Hieronym. ponit, & Augustinus. Græcè nomen est ἐντροπή, & Hebr. כלמה chelimmah, quod nullo modo sumi potest pro virtute, sed pro passione erubescentiæ. Verbum *induendi,* significat magnam confusionem, & ruborem, qui tamquam vestis totum hominem ambiat, & ab omnibus deprehendit, atque cerni exterius possit. Ad eumdem modum alio Psalmo x, *induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide* consu-

x Ps. 108. 19.

confusione sua: & a, inimico: ejus induam confusione. Præterea apud Job b; qui oderunt te, induentur confusione: & ipse carnem suam scribit c indutam putredine: & rursus David d, induit maledictionem, inquit Ecclesiasticus e, superbiæ: Ezechiel f, mœroris indumenti meminit, & stuporis g: Isaias h, tenebrarum: Malachias i, iniquitatis. Legimus item operiri confusione, & pudore k, & faciem confusione l: animam in jejunio m: iniquitate, & impietate n, labore labiorum o: charitate p, pallio zeli q, ignominia r, formidine s. Præterea in bonam partem dicitur, quis multis modis indui spiritu Domini t, salute, seu salutari u, fortitudine x, id est, robore, justitia, & judicio y: decore, & honore z. Familiare Paulo etiam est induere nos arma lucis a, Dominum Jesum b, novum hominem c, varias virtutes tamquam armaturam Dei d: Christus, & donum Spiritus Sancti nominavit indumentum e. Idem Apostolus f induendos nos, ut incorruptionem, & immortalitatem. Rubor pudibundi, vestis rubræ instar est, sicut nubes g, tenebræ h; abyssus i; lumen k vestimenti nomine appellatur, & caligo, ut saccus cilicinus l. Confusionis improbis acerbissima pœna est, quia è flagitiis eorum oritur: quia sua spe frustratos se conspiciunt, quia pro brevi, falsoque gaudio sempiternos cruciatus consequuntur; qui pro gloria, quam superbissimè appetebant, successit ignominia. Si confusio, & reverentia sumerentur hoc loco in bonam partem, rectè cum Thoma per *induendi* verbum intelligi posset habitus virtutis bonus, & cum Cassiodoro, quasi quoddam cilicium pœnitentiæ, & vestis lugubris, contra audaciam, quam habuerunt furentes, & contra impudentiam falsitatis.

a Ps. 31.18 b c.8.22. c c.7.5. d Ps.108.18. e c.13.1. f c.7.27. g c.26.16. h c.59.3. i c.2.16. k Ps.70.13. Abd.v.10. l Ps.68.8. m v.15. n Ps.72.6. Malach.2.16. o Ps.139.10. p Prov.10.18. r 1 Pet.4.8. q Isa.59.17. s Jerem.3.25. c.51.15. s Ezech.7.18. t Jud.6.34. 2.Par.24.20. u 2.Par.6.41. Ps.131.16. x Isa.59.17. 52.1 Ps.92.1. Prov.31.25. y Job.29.14. Ps.131.9. Isa.59.17. & 61.10. z Ps.92.1. Prov.31.25. Ps.103.1.& 4. Baruch.5.1. a Rom.13.12. b Ibid.v.14. Gal.3.27. c Eph.4.24. Coloss.3.10. d Eph.6.11.14. 1.Thess.5.8. e Coloss.3.12. Luc.ult.49. f 1.Cor.15.53.54. g Job.38.9. h Isa.50.3. i Ps.10.6. k Ibid.2. l Apoc.6.12. m v.17.

Qui magna loquuntur super me.) Augustinus, Cassiodorus, Ruffinus, Hieronymus, Remigius, Beda, Haimo, Thomas, Bruno, Hugo, & ferè omnes Latini legunt, *maligna*: sed mendum est. Nam Hebraicum participium מגדילים *magdilim*, significat *magnificantes*, nempè verba: & Græcum μεγαλορρημονοῦντες, *magnaloquentes*. Eadem phrasis Psalmo XXXVII. m *super me magna locuti sunt*, הגדילו *higdilu*, ἐμεγαλορρημόνησαν. Lege versum IV. hujus Psalmi. Vertit hoc loco Hieronymus, *qui magnificantur super me*.

Vers. 27.) Exultent, & lætentur, qui volunt justitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Vers. 28.) Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

SIcut iniquis imprecatus est confusionem, ac vaticinatus, ita justis optat, auguraturque gaudium, & exultationem: qui nimirum benè illi volunt, innocentiam ipsius amant, vel, ut palam cunctis innotescat, & jus ei reddatur, desiderant. Excitat eosdem ad laudem Dei, qui delectantur pace, quam post liberationem ab inimicis, & calamitatibus omnibus ipse consequatur. Cupit, ut quemadmodum loquebantur inimici magna contra ipsum; sic isti semper magna de Deo celebrent, deque potentia ejus in suis servis liberandis; & se cupere significent, ut major semper appareat, suæque illius potentiæ, ac bonitatis majora exempla edat. Ipsemet ad extremum pro beneficio, quod acceperat, vel accepturum sit certus, pollicetur actionem gratiarum, foreque, ut in prædicanda exerceatur justitia Dei, & assiduè laudem illius frequentet, ne umquam subrepat oblivio.

Qui volunt justitiam meam.) Præter voluntatem, qua complaceant sibi de justitia, & cupiant aliis innotescere, Haimo, & Hugo, Thomas, addunt voluntatem imitandi. Alia tropologia Bedæ, & Remigii, ut quis non velit propriam statuere justitiam n, sed tribuere meritis Christi, & misericordiæ Dei, per quam videlicet communicatur nobis vera, & inhærens justitia. Ruffinus *velle* dictum notat, non *operari*; quia operari justa quis potest, non affici ad virtutem; nemo autem invitus benè facit, etiamsi bonum est, quod facit; nam si actio videtur bona, voluntas tamen tenetur rea. Completum hoc ait Eusebius, & præcedens membrum, tum in abjectione Judæorum, tum in exaltatione Gentilium. Eodem trahit, quod habetur in Deuteronomio o inter alias maledictiones inobedientis populi. *Advena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior, &c. ipse erit in caput, & tu eris in caudam.*

Tropologia. n Rom.10.3. o Deut.28.43.44.

Dicant semper, magnificetur Dominus.) Lege Psalmi præcedentis versum IV. quo pacto *magnificari* dicatur, & possit Dominus. Ad, *dicant*, pertinet, *semper*, etsi verum est, indeque sequitur, semper magnificari, & ipsum *semper dicere*, est semper magnificare.

Qui volunt pacem servi ejus.) Hieronymus, & alii ex Hebræo, *qui vult*, videlicet Dominus, *pacem servi ejus*, sive sui, hoc est, cui placet, ut servus suus rerum secundo successu fruatur: sive Davidem intelligas, sive Christum; quem Christum servum dici ratione humanitatis, hoc loco docet Cassiodorus, Hieronymus, Thomas, Remigius, Haimo, Bruno, Hugo, Valentia, Cajetanus, & alii, nosque aliàs p Patrum, & Scripturæ testimoniis aliis ita nominari posse ostendimus populum Christianum. Hesychius interpretatur esse servum Dei. Excidisse videatur littera י *jod*, ex vocabulo Hebræo, qua littera addita erit pluralis pro singulari התפצ *hechaphets*, התפיצ *hachaphtese*, in regimine. *Pax* autem omne boni genus apud Hebræos præsertim designet, ut etiam alibi demonstratum est.

p Actuum 4.25. Pax omne boni genus apud Hebr. designat.

Et lingua ejus meditabitur) Quum non sit linguæ meditari, propriè loquendo, sicut nec oris meditari sapientiam q, sed cordis, & mentis, B. Thomas respondet dici *meditari*, quando meditata loquitur, respondet cordi lingua, & os sapientium est in corde ipsorum r, aut sicut sermonem, ita linguam unam interiorem esse, non tantum exteriorem: aut *meditari* idem esse, quod modulari. Primum placet Petro Lombardo, Hugoni, Ruffino, Brunoni, secundum, Bedæ, & Haimoni. Quartò, meditatur lingua, quum loquitur submissè, ut Genebrardus docet. Quintò, idem est, ac exercere se. Recognosce dicta s primo Psalmo, *in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Ubi de verbo Hebræo רצת, & Græco μελετᾶν, & Latino *meditari*. Spectat ad allegoriam, ut lingua sit prædicator, & Sacerdos legis Evangelicæ. Id Eusebius tradit, & Hesychius: de Latinis Hieronymus, ac Beda.

q Ps.36.30. Lingua quo modo meditari dicitur. r Prov.16.23. s v.2. Allegoria.

Tota die.) Symmachus pro ὅλην ἡμέραν habet πᾶσαν ἡμέραν, *omni* die: & כל *chol*, utrumque valet. Eusebius circa primam lectionem, quæ nostra est, notat non dixisse Davidem *omnibus diebus*, sed *uno* tantùm *die*, ipsoque perpetuo, & infinito, quia mansio, & conversatio apud Deum unus est perpetuus dies. Theodoretus Symmachi verba explicat pro continuatione, sed hic de præsenti vita, ille de æterna loquitur. Quia porrò id in hac istius vitæ infirma conditione fieri nequit, ut à laude Dei numquam cessemus, Augustinus, reliquique passim Latini continuam laudem ajunt esse, bono semper operi vacare, quod in Dei cedat laudem. *Tota die Deum laudare quis durat?* inquit Augustinus. *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, benè age, & laudasti Deum: quando cantas hymnum, laudas Deum, lingua tua, quid agit, nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum, discedis, ut dormias, noli surgere ad malefaciendum, & laudasti Deum. Agrum colis, noli litem movere, & laudasti Deum. In innocentia operum tuorum prepara te ad laudandum Deum tota die*, Hactenus Augustini monitum. Lege initium Psalmi XXXIII.

Mansio & conversatio apud Deum unus est perpetuus dies. Continua Dei laus quid sit Augustino & aliis.

Laudem tuam.) Aquila ὑμνήσει σε, *laudabit te*. Est תהלה *thehillach*, *laus* activè sumpta, idest, *laudatio*: quo pacto etiam Latina vox, nec non Græca τὸ ἔπαινος, sæpè sumitur.

PSAL-

PSALMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

1 In finem, servo Domini Ipsi David.
2 DIxit injustus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.
3 Quoniam dolosè egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.
4 Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut benè ageret.
5 Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.
6 Domine in cœlo misericordia tua: & veritas tua usque ad nubes.
7 Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa,
8 Homines, & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.
9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.
10 Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.
11 Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his, qui recto sunt corde.
12 Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moveat me.
23 Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

TITULUS.

Vers. 1. In finem, servo Domini ipsi David.

AUGUSTINUS nihil de titulo: sed idcircò ut arbitror, quòd facilem crediderit, non quòd nullum esse putaverit, ait enim in multis locis Psalmum apertum esse. Apud Theodoretum additur ψαλμὸς, & omittitur τῷ παιδὶ τοῦ Κυρίου, Eusebius notat, nec inscriptum reperiri ψαλμὸν, nec ᾠδὴν, nec quidquam hujusmodi, sed contineri hoc loco doctrinam, atque Theologiam.

Ambrosius observat, in toto Psalterii corpore solum hunc titulum esse, quo Psalmum servo Domini se scripsisse psaltes testatur. In LXXXIX. titulo voceri Mosem *hominem Dei*; quod est honorificentius. Itaque omittens pronomen, *ipsi*, non ad Davidem refert, sed Christum. Docet autem sic peculiariter nunc appellari Christum, cui scribat, & de quo loquatur David, quia quum agat adversus injustitiam, demonstrare vult plus gravari injustitiam perfidorum, qui Christum Jesum Dominum recipere noluerunt, quum ille propter ipsos susceperit servitutem, quam aliis præterea Scripturæ testimoniis confirmat. Verumtamen non solùm Græcus articulus τῷ Δαυίδ. Davidem designat; sed etiam Hebræus לדוד *le David*. Secundùm Ambrosii verò sententiam *David* esset in casu recto: quasi dicas, *David servo Domini*, nimirum scribit, vel canit, & psallit. Deinde quamvis allegoricè Psalmus hic referri possit ad Christum, sicut omnes alii, nihilominus litteralis obvius sensus, moralis est. Denique *Homo Dei* Moses vocatus est, quoniam idem id valet, quod *servus DEI* quo illum quasi Epitheto describi alibi ostendi a. Vulgares quoque hoc linguæ habent, *ut hominem nostrum* dicamus, intelligere *servum* volentes.

a Actuum 2. 28.

Eumdem in Deuteronomio b Mosen *hominem Dei* legimus appellatum, ubi Chaldæus נביא, *neuija*, idest, Prophetam, nominat; sicut, & Eliam c, quando aliquoties *homo Dei* dicitur. Alibi de utroque eamdem vox usurpatur, & de aliis obsequio divino magis addictis: itaque apud Christianos quibusdam religiosioribus tributum alio etiam d loco docui. Adjice, nonnullos viros quoque sanctos velut nomine proprio *servos Dei* appellatos e.

Alia magis placet ratio, cur hìc potissimum Davidi placuerit appellatio *servi Domini*. Ut veluti ex hujusmodi antitheto declaret, quàm abhorreat ab impietate, omne numen, ac providentiam, & ultricem scelerum potentiam negantium, & sese profiteatur agere caussam Dei contra impios. Sic ferè Hebræi, & qui consectantur illos. Quamquam eadem quadraret ratio in Psalmum XIII. LII. & similes, in quibus idem tractatur, nec talem titulum habent.

b cap.33.1. c 4.Reg.1.9.10.11.12.13. d in c.10. Sap.9. e in Martyr. Rom. 13. Jan. & 16. Sept.

ARGUMENTUM.

HInc facilè intelligitur Psalmi argumentum. Invehitur nempè in impios David, qui ubi semel negaverint DEUM esse, summa ruunt in fraudes omnes, dolosque licentia, sibi, si quid agant boni, adscribentes, mala, stellis, fato, casui, vitio naturæ non arbitrii: quod est diripere Domini bona, nec se illius profiteri, ac gerere servum; aut non servum bonum. Contra verò demonstrat per omnia providentiam, bonitatemque divinam permanare; sed in primis erga pios sese demonstrare; sub extremum poscit Deum agnoscentibus, eiusdem largiorem opem Dei, ac sibimet etiam ipsi, ut conscelleratorum conatur evadere queat: quorum simul miserabilem vaticinatur interitum.

Ex thesi facit hypothesim Basilius, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, Lyranus, ut de maxima improbitate Sauli disserat, cui quum bis pepercisset, simulatam pœnitentiam præteritæ persequutionis præ se tulit, & fictum cum jurejurando promissum cessandi à persequutione f. Irenæus docet agi de Pharaonis iniquitate, deque bonitate Dei erga Hebræos, qui hoc loco designantur in titulo per *servum Domini*. Meminit, sed refellit Lyranus: Valentia item, qui factum Psalmum volunt in persona populi cupientes exire de captivitate Babylonica, & Regis impii Nabuchodonosor. Hesychius, ait præterea Psalmum esse de consummatione sæculi, deque populo, qui Domino serviat, & ab eo sit dilectus, continere etiam reprehensionem Judæorum, commendationem justorum Dei judiciorum, per quæ terra servata est: gratias Deo Patri propter eos, quibus per filium suum benefecit. Valentia contendit per se tractari de obstinata persecutione Judæorum contra Christum, eo quòd superbi, avari, invidi essent, & affectata laborarent ignorantia: tum de beneficio redemptionis per Christum. Denique orari, ut liberet Ecclesiam DEUS à simili pertinacia.

f 1. Reg. 24 & 26.

Vers. 2.) Dixit injustus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.

TAnta est, adeoque altè infixa impietas quorumdam, ut ex certa destinatione, decretoque animi, deliberaverint improbè agere: perpetuò, vel sæpè volventes qua ratione perpetrent iniquitatem suam: caussa est, quia cogitationem abjecerunt de Dei timore, quòd vel omnino putent eum non esse, vel credant minimè curare humanas res, & idcircò nec vindicare hominum peccata.

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.) Hieronymus, & Melchiades Papa g *dixit scelus impii in medio cordis ejus*: vel, (quia Hebraicè est pronomen primæ personæ,) *dixit, dicitve prævaricatio impio in medio cordis mei*, idest, sic apud me cogito, suggerere improbitatem impio, &c. hoc est, ipsum figmentum malum, seu fomi-

g Ep. ad omnes Episc. Hispan.

tem